

tem autem esse similitudinem proportionum; quæ proinde postulat quatuor saltem terminos. Sic proportio adest inter *duo et quatuor*, inter *tria et quinque* etc; proportionalitas vero inter *duo et quatuor* hinc et inter *quinque ac decem* inde, quemadmodum enim se habent duo ad quatuor, ita se habent quinque ad decem, cum in utraque proportionem adsit relatio dupli ac dimidii inter extrema. Ita etiam, quoniam inter oculum respectu visus et intelligentiam respectu intellectionis adest similitudo habitudinum, oculus et intelligentia proportionalitatem habent.

Proportionalitas duplex, altera propria, impropria altera.

Proportionalitatem dividunt Philosophi in *propriam et impropriam*. Propria est, quando similitudo proportionum, in diversis rebus existens, in illis proprie reperitur et absque ulla dissimilitudine secundum illam rationem; qualis est proportionalitas in ratione *dupli, tripli, quadrupli* etc. in qua infinita numerorum binaria perfectissime conveniunt: quamquam enim duo v. g. et quatuor, quindecim et triginta, centum et biscentum in seipsis absolute diversi sint numeri, at relative ac proportionaliter, nimirum secundum dupli rationem, minime discriminantur. Proportionalitas impropria viget, cum similitudo proportionum non ita perfecta est, quin habeat admixtam dissimilitudinem. Sic inter *oculum et intellectum* est similitudo proportionis per ordinem ad objecta cognoscenda cum magna commixta dissimilitudine in modo cognitionis et natura potentiarum ipsarum: unde fit, ut si eodem significantur vocabulo, velut cum *intelligentia dicitur oculus animæ*, adsit improprietas in sermone. Et in hac impropria proportionalitate fundantur omnes metaphoræ.

2.<sup>a</sup> Quenam proportionalitas constituat analogiam

Ad veram ergo analogiam, de qua nunc loquimur, non videtur sufficere quæcumque proportionalitas, sed requiri impropria (1), vera enim analogia postulat similitudinem et

(1) Vide Suar. Disp. Met. 28, sect. 3, n. 11; Lossada *Metaph.* disp. 1, cap. 3, n. 30 *Aliquod nomen potest esse communicabile dupliciter*, inquit Angelicus (1 p. q. 13, a 9): uno modo proprie, alio modo per similitudinem. Proprie quidem communicabile est, quod secundum totam significationem nominis est communicabile multis; per similitudinem autem communicabile est, quod est communicabile secundum aliquod eorum, quæ includuntur in nominis significatione. Hoc enim nomen leo proprie communicatur omnibus illis, in quibus invenitur

convenientiam admixtam dissimilitudine, ut ex analogorum generali definitione constat. Ita ratio *dupli*, quia præ se fert proportionalitatem propriam plurium binariorum, non est respectu illorum analogia analogia proportionalitatis, quia non designat, nisi illud in quo illa omnia identificantur, ac proinde videtur univoca ratio esse dicenda. E converso realitas, quæ exprimitur per vocem *oculus* dictam de vero visionis corporeæ organo et de intellectu, et ratio quæ significatur per terminum pes, cum prædicatur de animalis pede ac de ima parte montis, et alia sexcenta his similia exempla continent veram analogiam proportionalitatis, quia involvunt non puram similitudinem, sed convenientiam simul cum discrepantia.

Demum notandum est, ad hoc ut terminus aliquis sit analogus secundum proportionalitatem, non sufficere quod sit in variis rebus ejusmodi analogia, sed debere insuper illam termino ipso significari. Hoc modo si vox *leo* adhibeatur ad significandum duem fortem in bello, et vox *ligris* ad denotandum trucem tyrannum, terminus erit analogus analogia proportionalitatis, quia inter fortem duem et verum leonem ac inter tyrannum verumque tigrim, non modo adest proportionalitatis analogia, sed etiam exprimitur vocibus illis. Quod si ad exprimendum ducis fortitudinem loco vocis *leo* usurpes vocem *fortis*, et ad exprimendam pariter alterius crudelitatem uteris vocabulo proprio *crudelis*, quamquam erit quidem in re analogia, non vero in sermone, ideoque *terminus* desinet esse analogus, cum non exprimat nisi puram rationem crudelitatis ac fortitudinis absque dissimilitudine et discrepantia secundum naturas, quas voces *leo* et *tigris* referunt, cum de homine et brutis animalibus prædicantur.

Quæ cum ita sint, facile est analogia secundum attributionem vel proportionem ab analogis secundum proportionalitatem distinguere. Analogia enim secundum attributionem semper

3.<sup>a</sup> proportionalitas non modo inesse in re, sed exprimi quoque voce debet, ad hoc ut sit terminus analogus.

Differentia inter analogiam attributionis et proportionalitatis:

natura, quam significat hoc nomen leo; per similitudinem vero communicabile est illis, qui participant quid leoninum, ut puta audaciam vel fortitudinem, qui metaphorice leones dicuntur. Id quod inferius ibidem explicat exemplo nominis *Achilles*, quo proprie unus tantum individuum homo appellatur, per similitudinem vero alii etiam, qui aliquam illius proprietatem participant v. g. fortitudinem. Cf. S. Th. 1.<sup>a</sup> dist. 8, q. 1, a. 2.

1.<sup>a</sup> dicuntur per respectum ad unum, in quo ratio significata principalis reperitur, in reliquis autem cum dependentia et ordine ad illud; analogia vero secundum proportionalitatem non dicuntur hoc modo, ut videre est in allatis exemplis et aliis innumeris, quæ possent produci, sed quia similitudinem aliquam habent respectu alicujus effectus, muneris vel officii, ad quod proportione quadam simili comparari possunt.

2.<sup>a</sup> Unde in analogis analogia attributionis non opus est, ut forma denominans sit in omnibus intrinsece; in analogis vero secundum proportionalitatem forma denominans, saltem inadæquate, debet intrinsece reperiri. Sic nomen *porta* ingerit ideam mediæ ad domum ingrediendum, et hanc eandem ideam, licet non adæquate atque eodem modo, innuit idem terminus cum Beatissima Virgo prædicatur *felix cæli Porta*.

Analogia  
inæqualitatis.

Præter has duas analogias, secundum attributionem mirum et secundum proportionalitatem, tertia quædam solet distingui sub nomine analogiæ *inæqualitatis*, quam S. Thomas vocavit analogiam *secundum esse, et non secundum intentionem*. Sunt autem analogia secundum inæqualitatem ea, quæ licet conveniant in una ratione intelligibili, tamen variant ac diversificantur secundum esse physicum. Ita ratio quævis generica respectu diversarum specierum v. g. animalitas respectu hominis et bruti dici potest analogia hoc modo, quia quamvis easdem notas intelligibiles habeat conceptus animalis sive in homine sive in bruto, tamen in ipsa reali existentia animalitas hominis, utpote penitus quoad rem ipsam identificata cum rationalitate, diversa est ab illa bruti, quæ e converso irrationalis est. Verum, ut vides, hæc analogia non est propria analogia, cum reperiat in notionibus perfectissime univocis (1).

Axiomata  
duo circa ana-  
logia

Duo sunt axiomata, quæ passim audies in hac materia de analogia. Primum est, quod nomen analogum absolute prolatum stat pro famosiori analogato (2). Alterum est, quod principale analogatum poni debet in definitione aliorum; ut si volueris declarare quid sit medicinam esse sanam, dices eam

(1) Cfr. Cardin. Cajetan. Opusc. cit. de *Analog. nomin.*, cap. 1; Fonseca, lib. 4 *Metaph.*, cap. 2, quæst. 1, sect. 6, etc.

(2) Vid. S. Thom. 1.<sup>a</sup> dist. 9.<sup>a</sup>, quæst. 1, a. 1 ad 2.<sup>um</sup>

esse causativam sanitatis in animali. Et similiter ad declarandum, quid sibi velit terminus *leo* vel *agnus* de Christo Domino per metaphoram ac proportionalitatem prædicatus, confugiendum est ad proprietates veri leonis et agni (1).

Hæc tamen axiomata intelligenda sunt in toto rigore de analogis per extrinsecam denominationem deque aliis admixtis cum metaphora; in cæteris enim possunt non habere veritatem, ut patet v. g. in ratione *entis* ac *sapientiæ increatæ* ac *creatæ* (2).

Plura de analogis in Ontologia.

## ARTICULUS VI.

### Varie divisiones terminorum orali tum mentali convenientes.

25. Terminus, sive mentalis sive oralis dividitur in *categorematicum* et *syncategorematicum*. Categorematicus est, qui ita aliquid significat, ut per se solum possit esse subjectum aut prædicatum propositionis. Syncategorematicus est, qui ita significat, ut solus neque subjectum neque prædicatum esse possit, sed tantummodo ut alteri adjectus. Sic *homo*, *Petrus*, *arbor*, *albedo*, sunt termini categorematici; *velociter*, *omnis, etiam*, *hominis*, et generatim omnes casus obliqui Grammaticorum, omnia adverbia, propositiones, particule conjunctivæ, numeri et reliqui termini, qui non aliud facere in propositione possunt, quam ejusdem subjectum aut prædicatum complere ac modificare, vocantur *syncategoremata*, seu termini syncategorematici (3). Quare termini syncategorematici vere et proprie

Terminus  
categorematicus  
et syncatego-  
rematicus.

(1) S. Th. 10 q. 13, a. 6.

(2) Vid. Suarez, disp. 28 *Metaph.*, sect. 3, n. 14; Molina in 1. p. quæst. 13, a. 6. Cfr. S. Thom. 1. p. q. 13, a. 6 ad 2.<sup>um</sup> et Qq. disp., quæst. 2 de *Verit.* a. 11, ad 6.<sup>um</sup>

(3) Circa nomina adjectiva est opinionum varietas, aliis sententibus ea esse pura *syncategoremata*, ut PP. Hurtadus, Izquierdo et Ulloa, aliis e converso contrarium sentientibus cum PP. Mauro, Fonseca et Lossada, quorum ratio loquendi mihi magis arridet. Vide Lossada, Disp. 4, cap. 4, n. 8; et Arriaga disp. 1, sect. 3.

termini non sunt, cum non possint esse nisi partes subjecti aut prædicati (1)

Finitus  
et infinitus.

26. Dividitur secundo terminus in *finitum* et *infinitum*. Finitus seu finitatus est, qui aliquid determinate significat, ut *homo*, *lapis*. Infinitus, qui nihil determinatum exprimit, licet aliquid determinatum removeat, velut *non homo*, *non lapis*. Hi enim termini removeant quidem determinate ac signate naturam *hominis* et *lapidis*, nihil tamen designant speciale (2). Terminus ergo *infinitalur* præfixa particula *non*, per quam desinit significare illud quod prius, et potest significare quamlibet aliam rem, sive realem sive chimericam, præter illud.

Notanda:  
1.<sup>o</sup> Transcendentes termini  
æqueunt in-  
finitari.

Circa hanc divisionem notari 1.<sup>o</sup> debet, esse nonnullos terminos, illos nempe qui transcendentales dicuntur seu prædicabiles de omnibus, infinitari non posse. Quia licet terminis hisce præponas negativam particulam, non ideo desinent aliquid determinatum significare: nam *non ens* v. g. et *non res*, aut *non aliquid*, idem valet ac *nihil*. Præterquam quod proprium est terminorum infinitorum, ex Aristotelis ac S. Thomæ doctrina (3), ut æque possint prædicari de ente ac de non ente, non enim minus vera est hæc propositio: *Chimæra est non ens*, quam hæc alia: *Equus est non homo*. Termini vero transcendentales, si præfixam habeant particulam negativam, non poterunt jam indifferenter dici sive de ente sive de non ente, sed determinate significabunt *non ens*, seu *nihil*.

2.<sup>o</sup> Habitudo  
termini finiti et  
infiniti secun-  
dum exten-  
sionem.

2.<sup>o</sup> Quo latius patet terminus aliquis finitus, eo minus patebit idem ipse factus infinitus: et e converso. Et ratio est manifesta, quia cum terminus finitus et infinitus universam entis et non entis extensionem complectantur, quo major est

(1) Ideo haud inepte nonnulli cum P. Compton (disp. 2, sect. 4) et P. Sylvestro Mauri (Summul., cap. 7) terminos categorematicos literis vocalibus, syncategorematicos consonis comparant. Sicut enim consonæ se solis nequeunt syllabam conficere; ita nec syncategorematici possunt absque aliterius presidio subjectum aut prædicatum constituere. Alii vero ob eandem rationem syncategorematicos eodem modo se habere dicunt ac *zero* in Mathematicis.

(2) Vide S. Thom. in lib. 1.<sup>o</sup> *Periherm.*, lect. 4, paragr. e.

(3) S. Th. 1.<sup>o</sup> *Periherm.* lcc. 4, paragr. e. Vide Aristotelem, *Periherm.* cap. 2.

unius latitudo, eo minor alteri necessario relinquenda est. Ideo quia *Petrus* v. g. minorem habet extensionem quam *homo*, et *homo* quam *animal*; *non Petrus* de pluribus prædicari potest quam *non homo*, et *non homo*, quam *non animal*.

Exinde patet, quam diversa sit vis particule negativæ, prout vel solos terminos propositionis afficiat, vel ejusdem copulam. Cum enim terminos afficit, eosdem infinitat et in alios proinde commutat; si vero copulam afficit, terminos minime in seipsis afficit, sed indicat solummodo eos inter se discrepare. Ita in hac propositione: *Non homo brutum est*, si particula negativa non aliud præstet, quam *infinitalur* terminum *homo*, propositio affirmativa est, huncque reddit sensum: *Quod non est homo, brutum est*. Si autem est particula negans, propositio æquivalet huic alteri: *Homo non est brutum*. Cum itaque ejusmodi propositiones occurrunt, diligenter cavendæ sunt sophistarum fraudes, duplicem hunc sensum subdole permiscendum, ut incautos decipiant.

27. Tertio dividitur terminus in *complexum* et *incomplexum*. Complexus est, qui pluribus constat partibus, seorsim significantibus, suamque in complexione significationem retinentibus. Talis est hæc complexio: *Homo justus*. Incomplexus est, qui partibus non constat, quidquam seorsim significantibus: id quod bifariam contingere potest; vel quia revera terminus partes nullas habet, quæ separatæ quidpiam significant, vel quia licet constat partibus hujusmodi, hæc tamen hic et nunc in tali termino nihil significant, ut *homo*, *Bonaventura*, *Salmantica*. Terminus enim *homo* non constat partibus quidquam seorsim significantibus; licet autem *Bonaventura* dividi possit in voces *bona ventura*, et *Salmantica* in *Sal mantica*, quæ possunt etiam seorsim significare, tamen istæ partes cum cœrent in unum ad conficienda prædicta nomina, jam non amplius retinent suam vim ac significationem, quam haberent separatæ.

Hinc vides ad rationem complexi termini requiri quatuor condiciones: primo, ut constet pluribus partibus (1), quarum saltem aliqua sit terminus categorematicus: deinde, ut

3.<sup>o</sup> Vis  
diversissima  
particulæ nega-  
tivæ infinitantis  
terminum et  
solam  
verbi copulam  
efficientis.

Complexus  
et incomplexus

Quatuor  
condiciones ad  
complexum  
terminum re-  
quisitas.

(1) Sunt plures qui notant, terminum *nemo*, licet formaliter incomplexum, esse nihilominus virtualiter et æquivalenter complexum, utpote qui prorsus idem sonat atque terminus *Nullus homo*.

omnes illæ partes aliquid diversum expriment unde varia nomina ejusdem personæ, ut v. g. *M. Tullius Cicero*, non efficiunt terminum complexum. Tertio, ut eandem significationem habeant partes omnes conjunctim ac seorsim, ita ut significatio totalis complexi termini coalescat ex complexu partialium significationum. Quarto demum, ut partes illæ nexu aliquo grammaticali copulentur, ut cum dicitur: *Petrus et Paulus, homo albus, equus Francisci*.

Denominativus  
et denominans.

28. Dividitur quarto terminus in *denominativum* et *denominantem*. Denominativus est qui ab alio derivatur et quoad vocem et quoad significationem. Sic *candidus* a *candore* denominatur; *studiosus* a *studio*. Denominans dicitur ille a quo alter et quoad vocem et quoad significationem ducitur. Ita *candor* denominat *candidum*, *studium* vero *studiosum*.

Notat autem Petrus Fonseca (1) cum Alberto Magno (2), nomine derivationis non hic intelligi grammaticalem derivationem, sed potius rationalem et ex rei petita natura. Quamobrem *justus* denominatur a *justitia* logice: quamquam enim ex Grammaticorum præceptis, *justitia* derivetur a voce *justus*, quoad rem tamen ipsam secus accidit, ideo enim quisque dicitur et est *justus*, quia *justitiam* habet.

Absolutus  
et connotativus.

29. Quinto dividitur terminus in *absolutum* et *connotativum*; in quorum tamen intelligentia et explicatione dissidium apud auctores reperio. Alii enim cum PP. Fonseca, Toledo, Lössada, Joanne a S. Thoma, et Dominico Soto apud Hurtadum (3) definiunt absolutum terminum eum, qui significat ad modum per se stantis, sive ratio significata, in sua physica realitate, sit substantialis seu per se stans, sive non; ut *homo, animal, candor, dulcedo*. Connotativum autem definiunt iidem eum, qui significat ad modum alteri adjacentis, sive ratio illa reipsa sit alteri adjacentis seu accidentalis, sive secus; ut *vivens, animatus, candidus, dulcis*. Notandum enim est, quemadmodum sunt duo rerum genera in existendo, alia quæ per se stant, et dicuntur *substantiæ*, alia quæ esse nequeunt nisi

(1) *Inst. dialect.*, lib. 1, c. 25.

(2) *In Prædicament.* tract. 1. Cfr. Auctor. *Totius Logicæ Arist.* Summa, tract. 2, c. 1.

(3) *Summul.* disp. 1. sect. 9.

alteri inhæreant, ideoque nominantur *accidentia*; ita etiam duos esse modos cognoscendi et significandi realitates tam substantiales quam accidentales, alterum absolutum, alterum connotativum. Sicut enim *albedo* v. g. in existendo dependet a subjecto aliquo; ita *albus* in cognoscendo ac significando postulat alium terminum, cui adhæreat, et cum quo concordet. Ex qua doctrina colligitur, terminos *absolutos* non esse confundendos cum *substantivis*, neque *connotativos* cum *adjectivis* Grammaticorum; quamquam enim omnes *absoluti* sint etiam *substantivi*, sunt tamen nonnulli *substantivi*, secundum istorum AA. doctrinam, qui non sint *absoluti*, sed *connotativi*, utpote formam aliquam significantes instar alteri adjacentis. Tales sunt v. g. *pictor, arifex, pater, dominus*, alique similes.

At vero Complutenses DD. (1) et PP. Mauri, Compton Hurtadus, Semmery (2) alique, rem aliter declarant. Dicunt enim terminum illum esse absolutum, qui ad plene et perfecte significandum non eget alio, cui adhæreat, ut *homo, virtus, candor*: Connotativum autem, qui significat, tamquam alteri termino adjacens, a quo pendet proinde ad perfecte aliquid significandum, velut *albus, virtuosus, vivens*. Atque ex hac declaratione id omnino consequitur, terminos *absolutos*, confundi cum *substantivis*, *connotativos* autem cum *adjectivis* Grammaticorum, qui propterea dicuntur a Logicis *connotativi*, quia præter formam seu rationem quam primario exprimunt, adsignificant etiam seu connotant secundario subjectum, cui forma talis competit. Ita *album* v. g. primario *albedinem*, secundario *subjectum albedinis* designat.

Harum opinionum ultra præferenda sit, non est, cur ego definiam, cum potissimum tota questio vocalis sit, neque eadem magni momenti. Illud porro est observandum, *connotativum* terminum sæpe sumi pro *relativo*, pro eo nimirum qui aliquid significat respectum importans ad aliud, sine cujus proinde cognitione perfecte cognosci nequit, quemadmodum *pater, filius, servus, creatura*.

Terminus  
connotativus  
sæpe sumitur  
pro relativo.

30. Sexto dividitur terminus in *concretum* et *abstractum*. Concretus est, qui significat rem simul ac formam seu determi-

Concretus  
et abstractus

(1) *Summul.* lib. 1, de terminis, Cap. 4.

(2) In *Summulis*, ubi hæc divisio termini declaratur ab his AA.

nationem, qua afficitur, v. g. *homo, vivens, album, cæcum* (1). Abstractum est qui formam seu determinationem ejusmodi, ut per se stantem ac sine subjecto exprimit, ut *humanitas, vita, albedo, cæcitas*. Duo namque considerari possunt in rebus: primo id quod possidet ac sustentat naturam, proprietates, accidentia quælibet, perfectionemque in certo gradu determinationis, et vocatur *subjectum* seu *suppositum*; ac deinde natura ipsa, proprietates, accidentia ac determinationes illæ subjectum constituentes, aut quomodolibet afficientes, quæ dicuntur communi vocabulo *formæ*. Termini ergo concreti utrumque significant, et *subjectum* et *formam*, subjectum forma affectum, et formam inherenter subjecto. At vero abstracti solam *formam* expriment, quasi præcisam a subjecto ac per se stantem. Hinc non leve discrimen est abstracta inter et concreta in modo significandi ut egregie docet S. Thomas (2).

Concretum  
substantiale et  
accidentale.

Concreta varie dividuntur ab auctoribus, et primo in *substantialia* et *accidentalia*. Concreta substantialia sunt illa, quorum forma et est substantiale quiddam et instar substantiæ significatur, ut *homo vivens*; accidentalia vero ea, in quibus forma est aliquid accidentale, aut saltem instar

(1) Cum formam audis in hac materia, intellige formam non tantum positivam, sed etiam privativam, seu positivæ formæ carentiam, quæ instar positivi ejusdem concipitur; talis est forma expressa per terminos *cæcitas* et *cæcus*.

(2) Considerandum est, quod circa quodcumque abstracte consideratum, hoc habet veritatem, quod non habet in se aliquid extraneum, quod scilicet sit præter essentiam suam, sicut *humanitas* et *albedo*, et quocumque hoc modo dicuntur. Cujus ratio est, quia *humanitas* significatur ut id, quo aliquid est homo, et *albedo*, quo aliquid est album. Non est autem aliquid homo, formaliter loquendo, nisi per id quod ad rationem hominis pertinet; et similiter non est aliquid album formaliter, nisi per id quod pertinet ad rationem albi; et ideo hujusmodi abstracta nihil alienum in se habere possunt. Aliter autem se habet in his, quæ significantur in concreto. Nam homo significatur ut qui habet humanitatem, et album ut quod habet albedinem. Ex hoc autem quod homo habet humanitatem, vel albedinem, non prohibetur aliquid aliud habere quam humanitatem vel albedinem. Et hæc est ratio, quare albedo vel humanitas significatur per modum partis, et non prædicatur de concretis, sicut nec sua pars de suo tuto. S. Thomas, Opusc. super Bœtium de Hebdomadibus cap. 2.<sup>um</sup>

accidentis et adjective significatur, ut *album, animatum* (1). Inter hæc duplex est discrimen: α) quod substantialia important tum subjectum tum formam *in recto*, quemadmodum loquuntur, seu *ut quod*; accidentalia vero subjectum important *ut quod*, seu in recto, et formam *in obliquo* seu *ut quo*.

Discrimen  
utriusque:  
1.<sup>um</sup>

Quid porro sibi velint hæ formulæ, dilucide explicat Losada (2) «Dum sermo est de concretis, importari *in recto* vel importari *ut quod*, apud Logicos idem sonat, ac esse id quod suscipit prædicata seu denominationes concreti proprias; importari autem *in obliquo*, non est in genitivo poni, velut terminum extrinsecum habitudinis, sicut ponitur Deus in hac dictione: *Creatura Dei*, sed idem valet ac esse id quod tales denominationes non suscipit, ne partialiter quidem, tametsi constituat intrinsece concretum. Si tamen sit ratio suscipiendi, tum dicitur importari *ut quo*, quia est id quo, seu ratione cujus tribuuntur subjecto denominationes, v. g. cum dicitur: *Justus est filius Dei* et *hæres cæli*, nomine *justus* importatur *in recto* solum subjectum, nempe *homo* vel *angelus*, sui soli tribuuntur denominationes filii et hæredis; forma vero, nempe *justitia*, seu *gratia santificans*, in *obliquo* importatur, quia non eas suscipit denominationes, simulque importatur *ut quo*, quia ipsa est ratio subjectum habilans ad suscipiendum.» Cum vero sermo non est de concretis, sæpe importari in obliquo idem valet ac poni in casu obliquo. Sic in definitionibus quarumdam formarum ingreditur subjectum earum in obliquo, ut cum similitas definitur *curvitas nasi*, et accidens ens *alteri* inherens tamquam *subjecto*»

Quid sit  
significari vel  
importari *in  
recto* vel *ut quod*,  
et in *obliquo*  
vel *ut quo*.

β) Exinde sequitur alterum discrimen inter concretum 2.<sup>um</sup> discrimen substantiale et accidentale, nimirum concreta substantialia non possunt pluraliter dici, quin multiplicetur forma. Cum enim in his forma ipsa veniat in recto, in tantum concreta multiplicentur, in quantum et subjectum et forma, ex quibus illa conflantur, multiplicentur. Ita si eadem anima rationalis

(1) Sunt qui concreta substantialia dividant in *substantiva* et *adjectiva*, prout *substantiva* aut *adjectiva*, id est nomine substantivo vel adjectivo significantur. Exemplum concretorum substantialium substantivorum est *homo, leo, lapis*, adjectivorum autem *animatum, rationale* etc. Vide Ant. Mayr. loc. infr. citando.

(2) *Institutiones Dialect.* disp. 3, cap. 3, n. 43.

esset in tribus corporibus, non forent tres homines, essent tamen tria animata. E converso cum accidentalia concreta *in recto* tantum significant subjectum, non vero formam, multiplicatis subjectis, etiamsi una eademque foret forma, possent pluraliter concreta dici. Ita si eadem albedo esset in tribus subjectis, forent tria alba.

Concretum  
metaphysicum,  
physicum et  
logicum.

Deinde concretum dividitur in *metaphysicum, physicum et logicum*. Metaphysicum illud est, in quo forma non differt realiter a subjecto, quale est *homo, lapis; humanitas* enim et *lapideitas* (sit venia verbo) non sunt aliquid realiter distinctum ab homine ac lapide. Concretum physicum est id, cujus forma realiter differt a subjecto, ut *album, dulce* (1). Logicum est illud, in quo forma nihil reale atque intrinsecum ponit in subjecto, sed pure extrinsecam denominationem ipsi tribuit, ejusmodi sunt concreta denominata ab aliquo actu intentionali sive cognitionis sive appetitionis, qui circa rem quamlibet exerceatur, ut *cognitum, amatum, speratum* etc.

Super prædicatione ac multiplicatione concretorum non parvæ sunt apud Philosophos difficultates ac dissensiones, quæ omittendæ nobis hic sunt, ne confusione obruatur incipientium animus. Videri tamen possunt inter alios auctores Arriaga (2) Izquierdo (3) Rhodes (4) et Casilius (5).

Positivus,  
negativus et  
privativus.

31. Septimo dividitur terminus, in *positivum, negativum et privativum*. Positivus est qui veram entitatem seu realitatem importat, ut *lapis*. Privativus est, qui significat carentiam formæ vel perfectionis in subjecto apto ad illam. v. g. *cæcus* respectu hominis, nam respectu lapidis aut arboris cæcitas non est privatio, sed mera negatio, cum non habeant aptitudinem ad videndum. Negativus est, qui carentiam formæ

(1) Physicorum concretorum duæ sunt classes, altera positivorum, altera privativorum. Positiva sunt ea, quorum forma positiva est ac realis, velut *album*: privativa, quorum forma non est quidpiam positivum, sed privatio realis formæ subjecto debitæ, ut *cæcus, tenebrosus*.

(2) *Cursus Philos., Summul. disp. 1, sect. 9, 10.*

(3) *Philos. scientiar., disp. 2, quest. 4 a n. 230.*

(4) *Logica, disp. 3, q. 1, sect. 2.*

(5) *Introductio in Aristot. Logic., lib. 1, cap. 3. Cfr. P. Antonius Mayr., Philos. Peripat. Pars. 1, disp. 4, q. 1, art. 2.*

significat, sed præscindendo a capacitate atque aptitudine subjecti, velut *non videns, visu carens*.

32. Octavo dividitur terminus in terminum *primæ intentionis* et *secundæ intentionis*. Terminus primæ intentionis est, qui rem exprimit, prout est in se, et independenter a prævia mentis operatione, ut *Petrus, lapis, vivens*. Terminus secundæ intentionis est, qui rem significat prout certo modo cognitam et secundum aliquam denominationem provenientem a prævia intellectus operatione, ut *cognitum, species* (1).

Terminus primæ  
et secundæ  
intentionis.

Intentionis namque nomine a Philosophis significatur intellectio, quasi actus mentis in objectum tendentis. Prima ergo intentio est illa cognitio, quæ pro objecto habet eas rationes, quæ rebus insunt antecedenter atque independenter a qualibet mentis operatione. Secunda vero intentio est illa, quæ pro objecto habet rationes rerum, non mere prout in seipsis sunt in sua physica realitate, sed secundum aliquod esse, vel affectionem aut statum illis provenientem ex prævia aliqua cogitatione. Sic si cogito *hominem*, exerceo primam intentionem, quia non aliud apprehendo per talem actum, nisi humanitatem, quæ realis certe est, eamque apprehendo secundum realitatem, quam homo in se habet, etiamsi nullus unquam de ea cogitaret. Si vero cogito *hominem*, ut *nomen quoddam, ut terminum, ut definitum, ut præcisum a notis individuantibus, ut speciem, ut subjectum aut prædicatum* etc. exerceo intentionem, quæ secunda appellatur. Non enim possum cogitare hominem *ut nomen* vel *terminum*, nisi rationi objectivæ *humanitatis* adjiciam definitionem et cognitionem *nominis* vel *termini*: nec *ut speciem*, nisi hominem concipiam velut certo modo cognitum aut cognoscibilem, per actum nempe qui

Ratio hujus  
appellationis.

(1) Cfr. S. Th. *De Potent.* q. 7, art. 9; et de *Natura generis*, c. 12. Alii vero aliter rem hanc declarant cum Bœtio apud Fonseca (*Inst. Dialect.* lib. 1, cap. 32) sic scribentem: «quidam ita loquuntur, ut nomina rerum dicant *primæ intentionis*, quasi *primi propositi* et *instituti* eorum, qui nomina imposuerunt; nomina vero nominum appellant *secundæ intentionis propositivæ*. Prius enim imponenda erant rebus nomina, ut alia vocaretur *homo*; alia *equus*, alia *planta*, et alia aliis nominibus: deinde ipsis rerum vocabulis, ut nimirum aliud appellaretur *nomen*, aliud *verbum*, aliud *participium*, et alia aliis nominibus....»

naturam humanam apprehendat præcisam a notis individuantibus, sine quibus in realitate physica nequit existere: nec denique *ut subjectum aut prædicatum*, nisi quatenus concipiam hominem vel substantem actui iudicii, in quo vel sit id, de quo aliud affirmetur aut negetur, vel id quod de alio affirmetur aut negetur. In prima ergo intentione rerum rationes attinguntur, prout in seipsis sunt, nulla forma seu affectione illis supperaddita, quam non habeant in sua realitate. In secunda vero intentione concipiuntur, prout convestita forma vel affectione aliqua, quæ ipsis realiter minime inhaeret, sed est denominatio resultans ex prævio actu cognitionis circa ipsas exercito: verbo, concipiuntur instar concretorum logicorum (1).

Collectivus  
et  
divisivus.

33. Nono dispeci terminus potest in *collectivum* et *distributivum*, vel *divisivum*, Collectivus est, qui plura significat collectim et simul sumpta v. g. *civitas, exercitus*: distributivus vel divisivus est, qui non significat copulativim, v. g. *homo, planta, Petrus*: Nam *civitas* et *exercitus* significant congregationem plurium civium ac militum; secus vero *homo, planta, Petrus*. Unde divisivus potest esse vel universalis vel singularis. Cave autem ne collectivum confundas cum universalis; collectivus enim nequit de singulis illis, quæ significat, seorsim prædicari, neque enim singuli cives sunt civitas, at universalis de singulis seorsim prædicatur; singuli enim homines v. g. sunt homo. Et ratio est, quia collectivus ita plura exprimit, ut illa singillatim spectata non sint nisi partes objecti totalis expressi per terminum; universalis autem ita plura denotat, ut singula contineant integram rationem per illum terminum expressam. Sed nota, posse terminos collectivos sub alio respectu converti in distributivos. Nam *civitas*, quæ respectu *civium*, et *exercitus*, qui respectu *militum* est terminus collectivus; quatenus significare potest plures ejusdem rationis

Differentia  
utriusque.

(1) Totam hanc doctrinam sic paucis comprehendit Angelicus: *Prima intellecta sunt res extra animam, in quæ prima intellectus intelligendo fertur. Secundo autem intellecta dicuntur intentiones consequentes modum intelligendi: hoc enim secundo intellectus intelligit, in quantum reflectitur supra seipsum, intelligens se intelligere et modum, quo intelligit. Quæst. disputate, de Potentia, quæst. 7, art. 9 in corp.*

*civitates* atque *exercitus*, est vere terminus distributivus, quippe qui de singulis illis potest seorsim prædicari.

34. Decimo terminus dividitur in *communem* seu *universalem* et *singularem*. Communis est, qui plura divisim significat, ut *arbor* (1): singularis seu discretus ille, qui unum tantum individuum determinate designat, velut *Petrus, Roma*. Communis potest accipi secundum partem tantum suæ extensionis indeterminate, et tunc vocatur *particularis* (2) v. g. *aliquis homo*, qui exprimit individuum vagum seu indeterminatum saltem in modo loquendi. Singularis autem exprimitur vel per nomina propria individuorum, quemadmodum in allatis exemplis, vel etiam per demonstrativum pronomen, ut *hic homo*, vel aliis demum accidentibus grammaticalibus, quæ communi termino præfixa, illum contrahunt ac determinant, ut *filius Caroli, calamus, quo nunc scribo* (3).

Communis  
et singularis.

Particularis

Quot modis,  
exprimitur sin-  
gularis.

Terminus communis subdividitur in *transcendentem* et *non transcendentem*, ac *supertranscendentem*. Transcendens convenit omnibus omnino rebus, quæ non sunt nihilum: et sex numerantur, nimirum *res, ens, unum, bonum, aliquid, verum*, quorum initiales literæ in hac voce barbara nihilque significante continentur: *Reubav*. (4) Terminus supertranscendens (5) qui omnibus omnino rebus, etiam *imaginariis* et

Transcendens  
et non transcen-  
dens ac super-  
transcendens.

(1) Hæc definitio, prout jacet, etiam rationibus analogis et transcendentalibus convenire posset: ex communi tamen intelligentia, neque analogæ neque transcendentia dicuntur universalis.

(2) Quandoque tamen a S. Thoma *particulare* sumitur generativum pro *individuo*. Vide v. g. *De Potentia*, quæst. 9, art. 1.

(3) Posset hic aliquis curiosius querere utrum nomen *Deus*, prout significat divinam naturam, præscindendo a Trinitate Personarum, sit terminus communis an singularis. Cui questionis sic respondet S. Thomas: «*Hoc nomen Deus, licet conveniat cum terminis singularibus in hoc, quod forma significata non multiplicatur, convenit tamen cum terminis communibus in hoc, quod forma significata invenitur in pluribus suppositis. Unde non oportet, quod semper supponat pro essentia, quam significat*» 1 p. q. 39, art. 4. ad 1.<sup>am</sup> Sed hæc ad Theologos spectant.

(4) S. Th. *De Veritate*, quæst. 1, a. 1, et Opusc. de *Natura generis*, cap. 2.

(5) Cfr. Fonseca, *Op. cit.* lib. 1, cap. 27; Mauri, cap. 10; Lossada, loc. cit. disp. 4, cap. 4, n. 12.

*chimericis* atque impossibilibus convenire potest v. g. *cogitabile*, *opinabile*, *apprehensibile*, *significabile*. Reliqui termini sunt non transcendentis, nimirum illi, qui de rebus certi dumtaxat generis prædicantur, et vocantur simpliciter universales.

## ARTICULUS VII.

De quibusdam terminorum divisionibus,  
prout respectu aliorum  
considerantur.

Divisio  
terminorum in  
pertinentes  
atque  
impertinentes.

35. Hactenus terminos divisimus secundum se ac solitarie spectatos. Si vero alii cum aliis comparentur, partiri possunt termini in *pertinentes* atque *impertinentes*. Impertinentes sunt illi, qui neque se inferunt, neque excludunt, ut *albus* et *doctus*, *musicus* et *philosophus*. Albedo enim et doctrina, ars musica et Philosophia possunt simul esse in eodem subjecto, et possunt etiam abesse, et altera esse absque altera. Pertinentes sunt illi qui se inferunt aut excludunt, quemadmodum *homo* et *animal*; et *homo* et *asinus*. Valet namque hæc consequentia: *Est homo; ergo non est asinus* (1). Qui se inferunt, vocantur *pertinentes sequela*, seu *consequentes*: qui autem se excludunt, *pertinentes repugnantia*, seu *oppositi*.

Pertinentes sequela subdividuntur in *æquales* et *inæquales*. *Æquales* seu *convertibiles* sunt, qui *mutuo* se inferunt, ut *risibile* et *febile*; *rationabile* et *risibile*. *Inæquales* seu *non convertibiles* sunt qui non se mutuo inferunt, ut *animal* et *homo*. Ex inæqualibus ille, qui inferitur et non infert, appellatur terminus superior, et latius patet, ut *animal* et *vivens* respectu *hominis*: qui autem infert et non inferitur, vocatur terminus inferior, et minus late patet, ut *homo* respectu *animalis* et *viventis*. Itaque terminus inferior et superior ita invicem comparantur, ut ille quidem hunc sub sua comprehensione complectatur, et propterea illum necessario infert;

(1) Pertinentes appellantur a nonnullis recentioribus *connexi*, et impertinentes *disparati*. Vide cl. P. Liberatore. *Institut. Philos., Logicæ* par. 1.<sup>o</sup>, n. 17, IX (edit. 1881 Prati).

superior vero inferiorem contineat sub sua extensione, ideoque non infert illum, sed ab eo infertur (1).

Termini repugnantes nuncupari generatim possunt *oppositi*, tales enim formas significant quæ in eadem re singulari, simul et secundum eandem partem ac respectum, esse nequeunt. Oppositio enim definitur *relatio inter duo extrema simplicia, quæ in eadem re singulari simul et secundum eandem partem et respectu ejusdem esse non possunt* (2).

Dicitur inter duo *extrema simplicia*, quia sermo hic est de oppositione terminorum, non de oppositione propositionum. Dicitur *in re singulari*, quia in eadem natura universali, ratione plurium individuorum, possunt opposita prædicata reperiri. Dicitur *simul et secundum eandem partem*, successive enim ac in diversis partibus, nihil mirum si opposita eidem subjecto conveniant. Dicitur tandem *respectu ejusdem*, quia sunt nonnulla attributa, quæ licet oppositionem quamdam important, facile tamen competere possunt eidem respectu diversorum extremorum, quemadmodum idem potest esse simul *pater* et *filius*, *similis* ac *dissimilis* respectu diversorum.

36. Duplex est genus oppositionis: altera nempe est *propria*, altera *impropria*. Oppositio impropria est quæcumque diversitas et distinctio; quæque improprie opposita sunt, dicuntur *disparata* (3). Oppositio propria, quæ simpliciter oppositionis sortita est nomen, est repugnantia inter certa ac definita extrema, quæ peculiari habitudine invicem referuntur. Proprie atque improprie opposita seu disparata in hoc conveniunt, quod diversitatem atque in eodem subjecto incompatibilitatem præ se ferant. Differunt autem, quia prima determi-

(1) Cfr. inferius leges consequentiarum inter propositiones subalternas.

(2) Ita Conimbricenses, Op. cit. *In Prædicamenta Aristot.*, cap. 10 quæst. unic., art. 1.

(3) Tota hæc series divisionum ac subdivisionum terminorum pertinentium atque impertinentium, aliis vocibus brevius exponitur a recentioribus, qui terminos invicem comparatos generatim dividunt in *sociabiles* et *insociabiles* seu *repugnantes*. Sociabiles sunt, qui expriment rationes, quæ simul convenire possunt in eodem subjecto: unde ad hanc terminorum classem revocantur termini pertinentes sequela et impertinentes antiquorum. Repugnantes sunt, quæ expriment rationes incompatibiles in eodem subjecto.

Termini oppositi.

Quid oppositio et opposita.

Oppositio alia propria, alia impropria.



natam et specialem habitudinem repugnantiae habent cum uno tantum termino, ita ut eo speciali modo cum nullo alio possint pugnare; disparata vero implicant quamlibet diversitatem absque certa et determinata lege, unde cum multis terminis seu extremis aequè dissidere possunt. Ita *homo* et *lapis* sunt disparata, quia non certa quadam lege sese excludunt, sed eo modo quo etiam pugnant cum *aqua*, *sole* aliisque sexcentis rebus. *Album autem et nigrum*, *homo* et *non homo*, *videns* et *cæcus*, *pater* et *filius* ea inter se lege ac ratione reluctantur, quæ nequeunt cum ullo alio extremo præterea dissidere (1).

Oppositio propria quadruplex.

37. Quatuor numerantur proprie opposita: *relativa*, *contraria*, *privativa* et *contradictoria* (2).

Quid relativa.

Relative opposita sunt, quorum alterum per respectum ad alterum denominatur: talia sunt *pater* et *filius*, *causa* et *effectus*, *majus* et *minus*.

Quid contraria.

Contraria definiuntur ex Philosophi doctrina (3) quæ sub eodem genere maxime distant, et eidem subjecto vicissim insunt, a quo mutuo se expellunt, nisi alterum eorum insit a natura. Exempla sunt *virtus* et *vitium*, *scientia* et *error*, *candor* ac *nigredo*.

Dicitur sub eodem genere, ubi nomine generis intelligitur proximum vel remotum, quia nimirum contraria esse debent

(1) Vid. Suarez, *Disp. Met.* 45, sect. 1, n. 1; Conimbric. loc. cit.

(2) Ratio divisionis hæc reddi potest. Nam oppositio versari nequit nisi vel inter extrema positiva, vel inter unum extremum positivum et alterum negativum. Etenim duo extrema negativa opponi proprie non possunt, cum una negatio per se seu ratione sui non repugnet alteri: cum enim proprium negationis sit auferre positivam entitatem, ablato omni positivo, nihil remanet, per quod duo negativa possint inter se reluctari. Jam si utrumque extremum positivum sit, vel utrumque pariter est absolutum, et habebitur oppositio contraria qualis est v. g. inter *album* et *nigrum*; vel utrumque relativum, et aderit oppositio relativa, ut inter *dominum* ac *servum*. Si vero extremorum sit alterum positivum, et alterum ejusdem negativum: alterutrum continget, ut vel illa negatio supponat aut connotet subjectum ad formam oppositam aptum, et existet oppositio *privativa*; vel pure ac simpliciter removaet oppositum, quin ullum subjectum connotet, et exsurget oppositio *contradictoria*. Vide Suar., *Disp. Metaph.* 45, sect. 1, n. 2-10; Conimbr. loc. nup. cit. art. 2. Aliam rationem habes apud S. Thomam in lib. 5 *Metaphysic.* lect. 12.

(3) De *Prædicam.* cap. 10, et *Metaphysicor.* lib. 10, cap. 6.

duo extrema positiva, quæ quamvis inter se dissideant, conveniunt tamen non solum in suprema entis ratione, sed etiam in alia magis contracta, ut *scientia* et *error* conveniunt in genere *habitus intellectualis*, *virtus* et *vitium* in genere *moralis habitus*, et *candor* ac *nigredo* in genere *qualitatis sensibilis visualis* (1).

Dicuntur contraria maxime distare, distantia non locali, sed diversitatis essentialis ac naturæ, neque absolute, sed solum intra certum ordinem, quatenus sub genere illo, ad quod pertinent, nihil sit magis diversum natura seu essentia, quemadmodum sub genere colorum nihil distat magis quam *albedo* et *nigredo* (2).

Dicuntur contraria, quæ vicissim insunt eidem subjecto a quo mutuo expelluntur; quia oppositio contraria proprie inest in formis, quæ insident subjecto illarum recipiendarum capaci; cum vero formæ inter se reluctantur, mutuo se ipsas expellere a subjecto necesse est, illudque proin informare simul non poterunt, sed successive seu vicissim.

Sunt nihilominus nonnulla subjecta, quæ unam e formis contrariis naturaliter habeant, quemadmodum corvus nigredinem, ac dulcedinem saccharum; quod ubi contingit, nequit dari naturaliter ea formarum contrariarum sibi succedentium vicissitudo atque expulsio. Quapropter addita sunt in definitione illa verba: *nisi alterum eorum insit a natura* (3).

Contraria dividi solent in *mediata* atque *immediata*. Mediata sunt, quæ medium habent, quorum proinde neutrum necesse est proprio subjecto inherere, nisi alterum eorum insit a natura, velut *albedo* et *nigredo* respectu corporis; sunt enim corpora utriusque capacia, et nihilominus utriusque expertia.

Contraria immediata sunt, quorum alterum necesse est inesse proprio subjecto, aut de eodem prædicari, ut *sanitas* et *morbus* respectu animalis, et *par* et *impar* respectu numeri, *bonestas* vel *inbonestas* respectu actus liberi. «Dictum est in

Contraria mediata atque immediata.

(1) Vide Suarez *Metaphys.* disp. 45, sect. 2, n. 7-9; Conimbric. loc. cit. art. 4.

(2) Conimbric. ib., et Suar. ib. n. 9-13, ubi omnia egregie declarantur.

(3) Suar. ib. n. 13-16, et Conimbr. loc. cit.

utraque definitione *proprio subjecto*, id est, contrarium capaci, quia respectu subjecti ad suscipienda contraria minime idonei, omne contrarium habet medium, lapis namque et sanitatis et ægritudinis est *expers*» (1).

Porro media, quæ inter ejusmodi contraria intercedunt, partim peculiare nomen habent, et dicuntur *nominata*, ut colores medi inter *album et nigrum*: alia nomen certum non habent et dicuntur *innominata*, quale est medium inter *justum atque injustum*. Medium innominatum habent quoque corpora, quæ eandem cum nostro habent temperiem, ideoque nec frigida nec calida vocantur.

Verum ut tota hæc doctrina de contrariis mediatis atque immediatis rite percipiatur, oportet declarare, quid sit *medium* inter opposita. Medium generatim est id, quod interjacet inter bina extrema. Hoc autem licet strictissime sumatur de his, quæ in eadem linea versantur cum extremis; tamen in hac quæstione logica medium sumitur etiam pro omni eo, in quo conveniunt extrema, vel quod per ea non excluditur. Atque ita variæ possunt excogitari classes medii (2). Aliud enim est medium ejusdem *generis*, seu *naturæ* cum extremis, illud nimirum, quod est in eadem velut linea et specie rerum, quemadmodum sunt colores medii albedinem inter et nigredinem, et quælibet aliæ formæ, quæ sub eodem genere cum extremis reperiuntur. Aliud est medium *subjecti*, ipsum videlicet subjectum formis contrariis vicissim recipiendis idoneum, illud namque commune habent oppositæ illæ formæ. Aliud demum distingui potest medium ab his duobus diversum quod *privativum* vocari posset seu *negativum*, quia consistit in mera extremorum contrariorum negatione, et reperitur in

Quod sit  
medium ubi  
sermo est de  
oppositione.

(1) Conimbric. in *expositione textus Aristot. de Prædic. c. 10*; Cfr. Tolet, in *Comment super eodem loco*, et Sylvest. Mauri *Aristotelis opera omnia*..... tom. 1. tract. 3 de *Postprædicamentis* cap. 1 vel 12 de *Oppositis* n. 3, 4.

(2) Ita S. Thomas 4.<sup>o</sup> *Metaph.*, lect. 16, parag. b, cum Arist. text. 27: *Medium inter duo aliqua accipit potest uno modo per participationem utriusque extremi, quod est medium in eodem genere, sicut viride vel pallidum inter album et nigrum. Alio modo per abnegationem, quod etiam est diversum in genere, sicut inter hominem et equum, quod nec est homo nec est equus, ut lapis.*

illis, quibus neutra forma etiam ex immediate oppositis in se convenit, quia nimirum non sunt apta subjecta illis recipiendis. Ejusmodi medium adest inter *sanitatem et ægritudinem* respectu *lapidis*, quia lapis, utpote formarum ejusmodi incapax, nec sanus nec æger sit, oportet. Ita etiam respectu *angeli albedo et nigredo* habent ejusmodi medium, cum non sit angelus harum formarum proprium subjectum.

Jam quando contraria nuper divisa sunt in mediata et immediata, sermo est de medio primi ordinis, nimirum de medio ejusdem generis seu naturæ; non vero de medio subjecti, seu materiæ, nec de medio privativo. Omnia enim contraria mediata necessario sunt ratione communis subjecti, scilicet habent medium subjecti: itemque mediata sunt *negativæ*, quia reperitur aliquod subjectum, de quo nulla ex contrariis formis possit prædicari (1).

38. *Privativæ* opposita ex mente Aristotelis (2) sunt *habitus et carentia ejusdem in subjecto capaci et in tempore a natura constituto*; sicut *visio et cæcitas* in homine. Quid privativa.

Nomine *habitus* intelligitur quælibet forma vel quasi forma, nimirum quidquid aliquo modo rei adhæret (3). Dicitur in *subjecto apto*, quia hoc differt privatio a pura *negatione*, quod hæc non connotat, neque determinat ullum subjectum, quippe quæ in quolibet subjecto esse potest, ac de quolibet prædicari, ut magis declarabitur explicando contradictoriam oppositionem; privatio autem essentialiter connotat ac respicit subjectum idoneum ad formam habendam. Quare tum privatio tum negatio pura idem important in *recto* et directe atque immediate, nimirum carentiam formæ alicujus, v. g. non *videns* et *cæcus* important carentiam visivæ potentiæ. At vero differunt in eo quod privatio exprimit in *obliquo* subjectum aliquod aptum, quod per meram privationem minime exprimitur.

(1) Vid. de his S. Th. *Opusc. de Quatuor oppositis*, cap. 1, 2. Cfr. *Comment. in lib. 5. Metaph.*, lect. 12; et lib. 10, lect. 9; Suar. *disp. 45 Metaphys.*, sect. 2, n. 19; Conimbr. *loc. cit.*; Fonseca *Comment. in Metaph.* lib. 10, c. 7, 10; Tolet. *Comment. in cap. 10 de Prædicam.*

(2) *De Prædicam.* c. 10.

(3) Conimbric. *loc. cit.* in *expositione text. Arist.*; Fonseca, *Instit. dial.*, lib. 2, c. 17.

Quare lapis non potest dici *cæcus*, potest autem dici *non videns* (1).

Hinc vides inter opposita privative non dari quidem medium generis, seu naturæ; dari vero medium subjecti, cum possit forma ejusdemque privatio eadem successive subjecto insidere; et dari quoque medium negativum; quia possunt dari subjecta, quibus nec forma aliqua neque ejusdem privatio competat. Quamobrem fieri bene potest, ut nonnullæ prædicationes negationem formæ alicujus exprimentes, veræ sint vel falsæ, prout pure negative vel privative sumantur. Ut si dicas angelum *implumem* esse, verum est, si id pure negative intelligas, falsum si privative.

Addita sunt in definitione privativorum verba illa: in *tempore a natura constituto*, ad magis declarandam præcedentem conditionem. Sunt enim subjecta quedam capacia certarum formarum, sed non in *omni tempore*: itaque absentia formarum illarum extra tempus a natura constitutum non erit vera privatio. Ita infans paucorum dierum nequit dici privative *imberbis* aut *edentulus*.

Quid  
contradictoria.

39. Tandem contradictoria opposita sunt ea, quorum *alterum importat formam, alterum ejusdem negationem*; ut *homo et non homo, lapis et non lapis*. Itaque contradictoria ita se habent, ut unum formam quamlibet exprimat, et alterum eandem ipsam neget, simul tamen includendo indeterminate aliquid ex omnibus rebus, sive veris sive fictis, quæ præter illam esse aut cogitari possunt. Unde unum ex contradictoriis sub sua extensione complectitur omnia illa quæ alterum non sunt, sive possibilia sive impossibilia, positiva vel negativa, realia vel chimerica. Et sic simili modo inter sese comparantur duo contradictoria sicut terminus finitus et infinitus. Exinde procedit absoluta impossibilitas mediæ *cujuscumque* inter contradictoria, et absoluta necessitas, ut alterum eorum de quacumque re ac subjecto, sive reali sive ficto, vere, et alterum falso prædicetur. Nam *Deus, angelus, corpus, substantia, accidens, chimæra*, procul dubio aut est *homo* aut *non homo, lapis* aut *non lapis*. Præter enim hominem et *non hominem, lapidem* ac *non lapidem*, nihil esse nec fingi potest. Cum ergo

(1) Vid. Suar. disp. 54. *Metaph.*, sect. 5., n. 7.

unum contradictorium importet quicquid alterum non est, et nihil quod alterum est; nulla omnino communitas, nulla convenientia nec medium inter illa potest intercedere. Ideoque dici solet, contradictoria invicem opponi, sicut *ens et non ens*,

Contradictoria  
opponuntur ut  
ens et non ens.

40. COROLLARIUM 1.<sup>UM</sup> Oppositio contradictoria est omnium maxima. Nam eo major est oppositio, quo minus est medium et minor convenientia inter opposita. Atqui inter opposita contradictorie, secus atque in reliquis, nullum est medium, nulla possibilis convenientia. Ergo.

Oppositio  
contradictoria  
omnium ma-  
xima.

Major propositio manifesta est; et minor quoque patet ex dictis. Nam in contradictoriis neque est medium naturæ nec generis, neque subjecti communis, neque etiam medium privativum seu negativum (1); de quibus supra fuimus locuti. E converso contrariorum plura habent medium naturæ; omnia vero habent medium generis ac subjecti, cum formæ contrarie sub eodem sint genere, et in eodem subjecto vicissim repariantur. Habent etiam contraria medium privativum; sunt enim multa subjecta, quibus neutra ex formis competat, eo quod non sint illarum capacia: Sic *angelus* neque est *albus* neque *niger*, et *lapis* neque *bonus* neque *malus* moraliter.

Privativa non habent quidem medium generis nec naturæ, sed carere non possunt medio subjecti et negativo propter rationem modo explicatam.

Denique relativa certe non conveniunt in subjecto, *idem enim non est pater et filius, secundum quod pater refertur ad filium. Nec conveniunt in medio sui generis* (2), *cum non sit in relativis magis et minus; habent tamen quemdam specialem*

(1) Proferri possent in contrarium exempla quedam terminorum in speciem contradictorium, sed qui non sunt pure contradictorii v. g. *homo albus* et *homo non albus*. Hi ergo ex eo quod admixtam habent aliquam contrarietatem, habent quoque non modo medium subjecti, sed etiam negativum per abnegationem utriusque: *angelus* enim, *arbor, lapis* etc. neque est *homo albus*, neque *homo non albus*. Vid. S. Th. Opusc. de *Quatuor oppositis*, c. 2.

(2) Id intellige de *puris* relativis: non enim desunt relativa quæ admixtam habent contrarietatem, ideoque medium generis habere possunt, quatenus contraria sunt. Sic inter *magis* et *minus* datur medium ejusdem generis unicum, *æquale*. Vid. P. Fonseca (*Metaphys.* lib. 10, cap. 10.) Cfr. S. Thom. In lib. 10 *Metaph.*, lect. 9.